

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

Caput IV. De transitu ejus felici.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

ginitate perpetua decorabo te, gaudium et lætitiã pro universis infirmitatibus dabo tibi, agilitatem æternam pro omni gravamine corporis habebis, jucunditate continua meipso perfrueris. »

## CAPUT IV.

## DE TRANSITU EJUS FELICI.

Post hæc igitur cum ille solaris radius ad occasum tenderet mortis, illaque rutilans gloriæ nostræ corona inclinaret ad casum, ut eam Dominus sibi magis aptitaret, usum loquelæ per viginti duas hebdomadas miro quodam modo sibi abstulit, ita ut<sup>1</sup> nec nutibus indigentias suas notificare valeret, exceptis duabus dictionibus, scilicet: *Spiritus meus*, quibus omnia necessaria sua miraculose expetebat. Unde multoties contigit quod eam non intelligentes contra voluntatem ejus facerent; quod tamen ipsa benignissime et patientissime supportabat. Nam vere Deus habitabat in ea et cum ea, qui omnia quæ per eam fiebant, suo dulcissimo Spiritu sibi placitissime dirigebat. Sed cum hoc verbum, *Spiritus meus*, tam continue iteraret, hæc soror ejus vice quadam eam interrogabat: « Et quis est Spiritus tuus? aut de quo Angelorum ordine? » Cui illa statim expedita lingua ita respondit: « Seraph est spiritus meus<sup>2</sup>. »

*Spiritus  
meus.*

Post amissionem autem loquelæ fere per mensem, quodam mane ita male valuit, quod putabatur agonizare. Et dum

1. Cf. *Legatus*, V. 1.

2. Hoc est, sic amore Dei plenus, ut aliquis ex Seraphim, qui inter Angelos præcipue per amorem discernuntur.

congregato Conventu festine inungeretur, apparuit pluribus personis Dominus Jesus formam et decorem, secundum quod dicit Bernardus, indutus, quasi ad amplexum expandens brachia, et blandiendo eam respiciens, et contra faciem infirmæ quocumque vertebatur se statuens, ac si resolutionem ipsius vehementi desiderio expectaret.

## CAPUT V.

## DE EODEM.

**A**PPROPINQUANTE itaque die, qui ab ipsa tot jucundis desideriis fuerat præoptatus, tamque devotis orationibus præmunitus cum jam agonizare cœpisset, videbatur Dominus totus festinus occurrere, comitatus dextera lævaque beatissima Matre sua prædilectoque discipulo Joanne Evangelista; post quos sequebatur multitudo totius cœlestis curiæ, specialiter Virginum exercitus, qui videbantur per diem illum domum implere, admiscentes se inter Conventum, qui etiam per diem illum mansit ibidem, desolationem suam fletibus et suspiriis deplangens, matrisque transitum devotis precibus commendans. Dominus autem Jesus tam dulcissimis gestibus ipsi infirmæ videbatur blandiri, quod exinde mortis amaritudo potuit digne leniri. Cum vero in Passione legeretur, *et inclinato capite tradidit spiritum*, Dominus velut ex incontinentia ferventissimi amoris inclinatus super agonizantem am-  
 abus manibus Cor proprium aperiens super eam expandit.

Dominus  
 cum Matre  
 et Joanne  
 agonizanti  
 blanditur.